Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1601
Quelle:
Copyright:

helmo et Sigismundo de Dieczin dictis de Vartemberg Regni Boemie Baronibus, qua convulsum Religionis in *Bohemia* statum, et quo modo cum *Job. Husso Constantiae* actum fuerit, illis ob oculos ponunt, eorum officia in componendis turbis expetunt, commendantque *Johannem* Ep. *Lithomisl.* ejus rei gratia ablegatum in *Bohemiam.* Epistolae initium est: *Quantis prouidencijs studijs malicie et nequicie seruientum* &c. Extat illa in *Opp. omn. Job. Hussi* edit. 1715. T. I. p. 100. sed inscripta *Johanni de Michelsperg* &c. itaque ἐγκυκλος fuit.

XVIII. *fol.* 102. *Job. Hussi* Epistolae V. *bohemice* scriptae, quarum *Prima* exhortatoria ad patientiam et perseverantiam in fide data videtur ad *Henricum* quendam hoc initio: *Giž tie pane milý panu bohu porucziém ge hož sie boi* &c. Caret nota loci et temporis et inter editas non est reperta. Reliquae latine versae extant *Opp. cit.* T. I. a p. 76. hoc ordine: *Secunda* nostra n. XI. *Tertia* XIII. *Quarta* XII. *Quinta* XIV. In fine Secundae *bonum Angelum*, quem Textus *bohemicus* offert, Interpres latinus in *bonum et fidelem Germanum* transformavit.

XIX. *fol.* 107. *Magistri Johannis Hus Copia intimacionis applicata in Ecclesijs in ciuitate Constan. et post oblata Concilio* &c. Incipit: *Attendant vniuersi et singuli et presertim hoc Sacrum Concilium generale, Si perfectum est iudicium hominem per deposicionem testium qualiumcunque personarum eciam infamium iudicare* &c. Ostenditur id deinceps Exemplis veteris et novae Legis, et concluditur: Debere *Hussum libere ad hoc concilium venire ad publicandam suam innocenciam et fidei orthodoxe puritatem* et *non conculcari in angulo per infames personas et suos graues inimicos.* Nescio, an Scriptum istud lucem viderit.

XX. *fol.* 108. p. 2. *Episcopus* (Joh.) *Luthomislens. ad Konradum Archiepiscopum* (Prag.) *scribit ipsum adhortando.* Init: *Literam vestre paternitatis mihi per familiarem meum* &c. Informat de Actis in Concilio; impetrasse se cum Collegis, ut, antequam instituerentur *processus contra adherentes et fauentes isti dampnate heresi*, puta *Wiclefi* et *Hussi*, mittantur *litere sacri concilij exhortatorie amicabiles et benigne* ad universos Bohemiae Ordines; opportunum fore, ut etiam inde *certi nuncij legales ad sacrum concilium cum plena intencione et adherencia tocius regni dirigantur, alijs regibus et principibus tocius christianitatis se conformando*, et alia, e quibus adparet, quantum viro strenuo salus et existimatio Popularium suorum cordi fuerit. Data *Constancie feria 5. ante Margarete*, nempe 1415. Impressam non reperi.

XXI. *fol.* 109. *Papa Johannes 23tius Sigismundo Regi Vngarie de carcere scribit promotionem ipsius impetrando.* Initium Epistolae datae *Celle Constan. Dioc. die Domi-*